



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

9. Vergleich der Markgrafen Johann, Otto und Conrad über die Bede, vom
1. Mai 1281.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

nostris fidelibus et uasallis, ut uenerabili dno. Geuehardo Episcopo Brandenburgensi, Geuehardo seniore de aluensleue, Henrico de vrisak, Arnolde de jagow, Tzabel de Redingestorp, Henrico mishero, Ludolfo de plote, Frederico de dargaz, Henrico et Heydenrico fratribus de heydebrak, Henrico de lanko, Gunthero de reberch, Henrico Soneke, Conrado de Ekftede, Henrico de polchow pincerna, Johanne de stendal, Hermano de boyfter, Gerhardo de Redingestorp, Conrado de stendal, Olrico de Osterborch, Johanne de Cummelosen, Johanne balch, Helmoldo de dreinleue, Wenero de sculenborch, Bodone de Walfoue, Rabodone de luchow, Henrico Tzabel, Geuehardo iuniore de aluensleue, Rodolfo et Johanne fratribus de Nemik, Wenero de Arnborch, Conrado de Coningesmark, Johanne de hertzvelde, alberto de redingestorp, Johanne de Crakow, Johanne de meyendorp, Hermanno de Carpzw, Theodolfo de plote, Henrico et Gunthero de sandow fratribus, Arnolde Weier, Jacobo de Nebed, Arnolde de inetlinge, alberto de berkzow, Henrico de Bredow, Arnolde de Grobene, Henrico de Bardendorp, Johanne sparren, Conrado de Zachow, Hermanno Botel, Henrico de Rachow, Johanne de Wolkow, Johanne baruth, Frederico de Brunkow, Henrico de fydown, Otone et Conrado fratribus de winninge, Theoderico de leuendale et aliis quam pluribus nostris militibus et uasallis. Actum Berlin, anno dominice incarnationis M^o. CC^o. LXXX^o XV^o. Kal. Septembris.

Nach dem Originale des K. Geh. Staats-Archives N. 112. lit. B.

Anm. Die 3 Siegel, so daran gehangen, sind abgerissen und die Urkunde ist zum Zeichen der Ungültigkeit mehrfach eingeschnitten. Auch stehen auf der Rückseite, mit einer aus dem 15. Jahrhunderte herrührenden Hand geschrieben, die Worte: non ualet.

9. Vergleich der Markgrafen Johann, Otto und Conrad über die Bede, vom 1. Mai 1281.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Iohannes, Otto et Conradus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, Omnibus has literas inspecturis salutem in domino sempiternam. Quoniam rerum conditor spera incomprehensibilis, cuius centrum ubique existit, circumferentia uero nusquam, ob inobedientiam et lapsum primi hominis memorialem cellulam humani generis adeo fecit fragilem et labilem, ut quemadmodum tempus mobile defluens est et fluit, sic et cum tempore temporales defluunt actiones: solummodo enim diuina perfecta sunt, humani autem generis condicio est defluens in infinitum et ideo in ea nihil est, quod perpetuo stare possit; Propterea ad notitiam cunctorum fidelium tam presentis temporis quam futuri volumus peruenire, quod ob salubrem statum terrarum nostrarum, de nostro et uasallorum nostrorum arbitrio, petitionem siue precariam exactoriam, quam in terra siue territorio Marchie dignoscimur habuisse, vendidimus iuxta virorum nostrorum consilium discretorum scilicet sub hac forma, Quod uasalli nostri dictam terram inhabitantes in die beati Michaelis

in annis Domini M^o. CC^o. LXXXI^o. nobis dederunt de manso, qui chorum duri frumenti soluebat, de duobus choris auene equipollentibus choro duri frumenti et de talento fertonem, et si mansus magis soluebat eo magis, si vero minus eo minus condonarunt. Porro ciuitatenfes siue negotiatores, sculteti, villici et rustici de pheodo et choro duri frumenti, de duobus choris auene equipollentibus choro duri frumenti et de talento fertonem dederunt. Sed alii homines communes, vt molendinarii et cozeeti, qui mansos non habuerunt, dederunt sex denarios de talento. Item in festo Pasche proximo subsecente, quod terminus fuit secunde emtionis in annis domini M^o. CC^o. LXXXII^o. predicti vassalli nostri nobis dederunt de manso, qui chorum duri frumenti soluebat, de duobus choris auene equipollentibus choro duri frumenti et de talento fertonem, et si mansus magis soluebat eo magis, et si minus eo minus tribuerunt. Porro ciuitatenfes siue negotiatores, scultheti, villici et rustici de pheodo et choro duri frumenti et de duobus choris auene equipollentibus choro duri frumenti et de talento fertonem dederunt. Sed alii homines communes, veluti molendinarii et cozeeti, qui mansos non habuerunt, dederunt sex denarios de talento. Postmodum in die beati Michahelis post festum pasche iam dictum proximo subsecente, qui terminus extitit terciæ emptionis in annis M^o. CC^o. LXXXII^o. memorati vassalli nostri nobis dederunt etc. (wie im vorigen Termine). Hic fuit terminus ultimus emptionis. Deinde in festo Andree proximo subsecente iste census subsequens instabat nomine precarie perhemiter dandus de manso, qui chorum duri frumenti vel magis soluerit, de duobus choris auene equipollentibus choro duri frumenti et de talento in die Andree iam dicto solidum, Post hec in die Walpurgis proximo similiter solidum dare perpetuo tenebuntur, et si mansus minus soluerit tantum debet sicut competit defalcari. Huiuscemodi census erit sempiternus nec ipsum conferre possumus aut debebimus alicui. Dominus vero bonorum debet hunc censum presentare nuncio nostro, et si dominus ibidem non fuerit ex tunc sculthetus siue villicus dictum censum tenebitur presentare terminis prescriptis. Quod si nec per dominum bonorum, sculthetum seu villicum factum fuerit, bedellus noster licite intrare bona eorum poterit ad requirendum et extorquendum predictum censum per pignorum captionem. Item ubi dicti vassalli nostri tenuerint sigillatim et sparsim bona eorum, licite nobis assignabunt dictum censum recipiendum de bonis eorum in integris fructis sitis alias in loco in terminis prenotatis. Item miles sub aratro suo habebit sex mansos, famulus vero quatuor, et hii erunt penitus liberi, et si plures quidem habuerint, de his dabunt censum prelibatum. Item si contigerit aliquem ex nobis captiuari, quod Deus auertat, predicti vassalli nostri ad redemptionem captiuati de manso, qui chorum duri frumenti soluerit, de duobus choris auene equipollentibus choro duri frumenti et de talento fertonem dimidium dare debent iuxta solutionem mansi magis ac minus. Communes siquidem homines, veluti molendinarii et cozeeti, de rebus ipsorum, que wigariter dicuntur Varendhe Haue, et de talento sex denarios dare debent. Item si predictæ terre nostre legitima necessitas aut guerarum periculum ingruerit, statim una cum vassallis nostris memoratis quatuor viros ad hoc, ex nomine milites

nostros Iohannem de Buc, Gerardum de Kercow, Beteconem de Buz, Thidemannum de Osterburg, vt quicquid iidem quatuor ordinauerint ad commodum ac utilitatem totius terre, auditis potioribus et senioribus terre, per fidem et iuramentum ipsorum pretextu iuaminis nobis prestandi contenti erimus, nec a nobis suspecti aliquatenus fore debent. Et si unus ex ipsis ab hoc seculo decesserit, in locum illius infra mensem eligent eque dignum. Quod si non fecerint, Tangermunde intrabunt ad iacendum, inde nulla nocte egressuri, donec loco illius eque bonus fuerit subrogatus. Et quicquid etiam iidem quatuor ordinauerint de pecunia danda a bonis in Marchia exustis quoad dies gratum seruabimus atque ratum. Item a sepe dictis vasallis nostris nullam precariam extorquere debebimus, si forsitan aliquam ex filiabus nostris alicui voluerimus matrimonialiter copulare, vel imperialem curiam visitare, nec in bonis eorum hospitabimus, nec aliquid dampni in ipsis commitemus. Bona quidem ipsorum a quibuslibet importunis grauaminibus debent esse libera et exempta. Item rustici predictae terre non procedent ad aliquam expeditionem, nisi tantum ad terre eiusdem tuitionem siue defensionem vel terre necessitate legitima imminente. Item si nos diuideremus, et is, in cuius diuisionem predicta terra caderet, prehabita infringere aut violare vellet, vasalli nostri supra dicti una cum munitionibus subscriptis ad alium ex fratribus nostris licite poterunt declinare, donec ea fuerint ex integro retractata. Item prehabita nos non impediunt in iure nostro in hiis, que cum dictis vasallis nostris habebimus placitare. Item bona nostra debent nobis pro eadem pecunia, pro qua ipsa vendidimus, resignari. Item prehabita venditio vasallos nostros a dominatione et seruitiis nostris non secludet, sed dominationi et seruitiis nostris debent esse veluti prius obnoxii et astricti. Item memorati vasalli nostri nobis seruiant, veluti nostris progenitoribus seruire hactenus consueuerunt. Qui vero nostra superfederint seruitia, id gratie nostre stabit, nec proinde fidei aut iuramento nostro aliqua macula impingetur. Vt autem omnia supra dicta inuolabiliter et perhenniter obseruemus, munitiones nostras Osterborch, Stendal et Tangermunde ad hoc obligauimus, quod si premissa infringeremus, se diuertere poterunt quo dicti vasalli nostri duxerint diuertendum, donec ea ad plenum fuerint retractata. Eisdemque vasallis nostris fide data promissimus et in reliquiis iurauimus et idem filii nostri cum ad annos discretionis venerint facient. Nec fratribus nostris aliquid diuisionis impendemus, quin per eos prius de premissis iuramentum prestitum fuerit et fidei sacramentum. Ad euentiam et robur perpetue firmitatis uniuersorum et singulorum premissorum presentem paginam conscribi iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus communiri. Acta sunt hec in Sandowe, anno domini M^o. CC^o. LXXXI^o. Kal. Maji, Datum per manum Domini Iohannis de Bruner prepositi in Granzoyge.

Nach dem Original des Stendalschen Rathesarchives No. 19.